



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

VII. De peregrinorum susceptione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

Quod si ecclesiam conturbare & sollicitare perfestat, tamquam seditiosus, per potestates exteras opprimatur. VI.

Si quis a proprio episcopo communione priuatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quam suo reconcilietur episcopo, aut certe ad Synodum, quæ congregatur, occurrens pro se satisfaciat, & persuadens Concilio, sententiam suscipiat alteram. Hæc autem definitio maneat circa laicos & presbyteros & diaconos, omnesque, qui sub regula esse monstrantur. VII.

Nullus peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitiis, suscipiatur epistolis. VIII.

Presbyteri, qui sunt in agris, canonicas epistolas dare non possunt: ad solos tantum vicinos episcopos literas destinabunt. Chorepiscopi autem, qui sunt irreprehensibiles, dare possunt pacificas, id est, generales epistolas. IX.

Per singulas regiones episcopos conuenit nosse, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius prouinciæ gerere. Propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Vnde placuit, eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros episcopos agere, secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum, quæ ad suam diocesim pertinent, possessionesque subiectas. Vnusquisque enim episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat iuxta reuerentiã singulis competentem, & prouidentiam gerat omnis possessionis, quæ sub eius est potestate,